

quodq; per baptismum offeratur gratia Dei.

4. Non hoc ita accipiendum, quod bap-  
tismus ex opere operato conferat Dei gratiam,  
atq; hoc modo ad salutem necessarius sit, sed  
quod ex institutione divina sit salutare me-  
dium, per quod Deus suam gratiam nobis of-  
ferat & obsignet.

Quomo-  
do bap-  
tismus sit  
necessari-  
us ad salu-  
tem?

5. Necessarius igitur est baptismus pro-  
pter mandatum Dei: Baptizate, &c.

6. Ad salutem necessarius est, quia in no-  
mine Patris, & Filii, & Spiritus S. admini-  
stratus, est medium regenerationis & reno-  
vationis in Spiritu S. per quod remissis no-  
bis peccatis ex filiis ira filii Dei nascimur, in  
foedus Dei recipimur, Christo inserimur, he-  
redes vite aeternae scribimur, & renovamur.  
Breviter: per quod gratia Dei nobis offertur,  
& in omni vita nostra obsignatur.

7. Assertionis huius fundamentum sunt  
dicta Scriptura sequentia:

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu  
&c. Joh. 3. v. 5.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-  
vus erit, Marc. 16. v. 16.

Christus dilexit Ecclesiam & munda vit  
eam lavacro aquae in verbo, Eph. 5.